

415.

1254.

Bröderna B. och K. LUCIE söners intyg, att de afstått hvad de ägt i Gösslunda och Brunnåsa till sina 3 systrar, samt att Abbedissan i Gudhem ägde att för klostret använda ena systern Fru INGEGERDS tredjedelsarf.

A. 3. 4. 5: 2.

Vniuersis presens scriptum inspecturis. B. & K. quondam domine Lucie filij salutem in domini filio ihesu christo. Quoniam ius nature nos admonet. ut nobis iure propinquitatis attinentibus quanto debilioris sunt sexus tanto iuuaminis largioris subsidium porrigamus. Nouerint tam presentes quam futuri. quod nos fratres. K. & B. tribus sororibus nostris quicquid prediorum Gythislvnda & brvnnasum habuimus assignauimus. ab eis in posterum libere possidendum Jta tamen quod partem terciam prediorum preditorum que domine Jngigerdi sorori nostre contingit domina abbatissa de guthem possidendi seu uendendi pro claustris suis utilitate liberam habeat potestatem. Huic nostre assignacioni testes assisterunt gloriosus dominus. w. rex swecie. & strenuus dominus. B. dux swecie. & vxor eius nobilis domina. J. ducissa swecie. & discretus dominus. H. filius quondam fulconis domini ducis pluresque regni swecie sapientes. Nos igitur fratres. B. & K. nostram tam legitimam donationem que coram tot & tam ydoneis testibus est collata. ne in posterum per alicuius maliciam in irritum reuocetur. litterarum testimonio. & nostrorum duximus sigillorum munimine roborandam.

Datum anno dominj. M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.LIII.

På frånsidan, med gammal hand: Istud predium uendidit abbatissa Katerina domine ragnildi  
Lucie filie. Med något yngre hand: Gøsslundha.

Sigillet, något skadadt, hänger i fina, tvinnade, ljusröda silkestrådar.

416.

1254.

Priorissan R \*) i Skokloster salubref på tredjedelen af fisket i Sken till Nydala kloster.

A. 3. x. 1: 35.

Vniuersis christi fidelibus presentibus & post futuris omnibus presens scriptum intuentibus siue audientibus. Soror. R. \*) dicta priorissa de Sco. Totusque ibidem conuentus. Salutem in christo domino saluatore. Quod sollempniter perpenditur esse dispositum. commendari uiuacj debet memorie litterarum. Nouerit siquidem tam presencium etas quam futurorum posteritas. quia terciam partem piscacionis quam hactenus in skethin posseidimus dilectis fratribus nostris monachis scilicet iu Nouavalle communi omnium nostrum beneplacito. pro precio puri argentj quo consulte prouidimus. & pari

\*) Namnet utskrifves BENEDICTA i en vidimation af Prostarne Åke och Ambjörn d. 22 Maj 1372,  
A. 8. c. 1.

pari consensu uendidimus iam eisdem perpetuo possidendam. Vnde volumus vniuersos scire. quatinus nulla persona de qualcumque loco, debeat in posterum. huic nostre sollempni vendicioni aliquo suspecto conamine obuiare. Sed ut ista uendicio & predictorum assignatiua empcio conuentuj de Nouavalle in posterum semper rata maneat & inconuulsa. sigilli nostri appensio ne. hec eadem que scripsimus benigno fauore firmissime roboramus. Actum anno gracie. M.CC. quinquagesimo. IIII:to.

Ceterum ad ista predicta. fauorem domini regis. W. & domini B. du cis. nec non & beneplacitum domini. J. archiepiscopi, salua semper ipsorum reuerencia. de singulis supra memoratis deuote & fideliter duximus requi rendum. & presentem tenorem nostro beneplacito. ad ipsum iugiter confir mandum. suis propriis sigillis iam una nobiscum faciant communirj. ut per hoc credulitas tam presencium quam futurorum tanto melius confirmetur.

Af 3:ne Sigill, hängande på hvit linne-tråd, qvarfannas N:o 1 och N:o 3 skadade.

417.

1254 d. 11 Febr.

Lateran.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s befallning till Biskopen i Skara att insätta Kaniken THEODOR till Kyrkoherde vid S:t Michaels Kyrkan i Noko i Hammars stift.

K. c. 178.

*Innocentius Papa Quartus Episcopo Scarensi.*

Dilectus filius Theodorus Canonicus Ecclesiæ Hamarensis quod licet ipse a Capitulo eiusdem Ecclesiæ fuisset in Hamarensem Episcopum postulatus, quia tamen per nos est de alio in Pastorem Ecclesiæ præfatae prouisum, idem Canonicus de sua electione graues labores & expensas non immodicas subiit de Norwegia ad Sedem Apostolicam veniendo. Cum itaque sicut accepimus Ecclesiæ Beati Michaelis de Noko Hamarensis Diocesis tanto tempore iam vacauerit, quod ipsius collatio est ad nos per lapsum temporis deuoluta. Nos dictum **Canonicum** affectu beneuolo confouentes, mandamus, quatenus si quod de vacatione ipsius Ecclesiæ proponitur, veritate fulcitur, eam præfato Canonicu per te vel per alium auctoritate nostra conferas & assignes. Non obstante quod idem alias be . . . exi . . . siue aliqua indulgentia quibuscumque personis locis vel dignitatibus de partibus illis ab Apostolica Sede concessa, quod suspendi vel interdici aut excommunicari, seu ad prouisionem alicuius compelli non possint, nisi de indulgentia ipsa plene & expresse seu de verbo ad verbum in nostris litteris mentio habeatur. Contra &c. Datum Laterani III. Idus Februarij Anno XI.

Sv. Diplom.

47